



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. VI. De Miraculo Quodam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hermannus de Saltza IV. Ord. Teut. Magister Gen.

Hermannus de Balke Mag. Ord. Teut. Prov. in Prussia.

(S) Joannes Dlugosus Prussos quotidiè in balneis lavissè autumat eo fine, ut lassitudinem labore vel intemperantiâ & ebrietate contractam depellerent. *lib. 2. Hist. Polon. pag. 115. Conf. Cromer. lib. 3. pag. 443.* Hodie quoque apud Lithvanos frequentissimus est balnearum usus.

(I) Dictum est supra Lit. (I) de Potu Veterum Prussorum, jam addenda quoque sunt quædam de ipsorum cætero victu. Elixarum carni-um apud eos nullum fuisse usum testatur Erasmus Stella *lib. 1. Antiq. Boruff.* Idem quoque Stella dicit, Prussos terram minimè excoluisse, vel ob ignorantiam rei rusticæ, vel ne bonitate soli deprehensâ & ipsi finitimorum metui obnoxii fierent, indeque eliminarentur, vel quod victum è terra nascentibus nondum noverant. Sed ut ut de Veteribus Phinnis illud non negaverimus, de omnibus tamen Prussis id asseri posse negamus. Jam enim olim Tacitus de Æstis aliud nos edocuit, quando eos *frumenta cæterosque fructus patientius quam pro solitâ Germanorum inertia laborasse* refert. *lib. de morib. Germ. in fin.* Quod etiam Prussi illi, quos Ordo Teutonicus sibi subjecit, carnes crudas vorarint, nusquam testantur antiquiores rerum Prussicarum Scriptores. Cæteroqui non negamus illos vili victu fuisse contentos. Sed de his vid. Dissertatio nostra XV. quæ est de re Oeconomica Veterum Prussorum.

CAP. VI.

De

Miraculo Quodam.

Fuit quidam Pruthenus in terra Sambiæ, in territorio Scho-ken dictus Dorge, qui equos albos detestabatur, à quo errore dum Fr. Theodoricus Advocatus Sambiæ ipsum vellet cohercere, emit ei Equum album, qui dum eo invito stetisset in stabulo suo per unam noctem, mane facto invenit dictum (a) Equum jugulatum & omnia pecora sua mortua, quod fuit in tribus vicibus attemptatum, & toties eundem exitum habebat. *Quar-*

L 3

ta

*Hermannus de Saltza IV. Ordinis Teut. Magister Gen.
Hermannus de Balke I. Magister Prussia Provincialis.*

ta vice idem advocatus quartum album Equum emit ei, asserens, quod hoc vellet iterare tot vicibus, quousque ab errore hujusmodi revocaretur. Sic tandem cum equus quartus à Diabolo non suffocaretur, sicut alii tres priores, idem Dorge credidit, & errorem suum humiliter est confessus, factusque est magnus fidei Zelator, & fidelium & fervens in devotione Dei & Sanctorum multorum corda errantium neophytorum in fide confortavit.

ANIMADVERSI O.

(a) Horribilius adhuc sæviit juratus humani generis hostis Cacodæmon adversus Lithvanum quendam, qui, sicut & Prussi veteres, cultui serpentum fuerat deditus, postea verò monitu alicujus amici cultum eundem deseruerat. Audiamus hac de re Sigism. L. B. ab Herberstein: *Cum, inquit, priori ex Moscovia itinere rediens in Troki venissem, referebat Hospes meus, ad quem diverteram, se eodem, quo ibi eram Anno ab ejusmodi quodam serpentis cultore aliquot alvearia apum emisse, quem cum oratione suâ ad verum Christi cultum adduxisset, utque serpentem, quem colebat occideret, persvasisset; aliquanto post, cum ad visendas apes suas eo reversus fuisset, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miserabilem in modum deducto offendit. Tanti mali causam interrogatus, respondit, se quod serpenti Deo suo manus nefarias injecisset, ad piaculum expiandum luendamque pœnam hac calamitate puniri: multaque graviora, si ad priores ritus suos non rediret, se pati oportere. Hæc Herberstein in Comment. Rer. Moscovit. fol. 84. Sed & hodiè, quod mireris, non tantum in Lithuania & Samogitia, sed & in Prussia id genus homines invenias, qui serpentes domi inventas non occidunt, sed fovent, extrema, si ipsis aliquid adversi accidat, metuentes. Imò relatum mihi est non rarò, permitti quandoque à Deo, ut, si ejusmodi serpentes occidantur, greges & armenta Patrifamilias miserè moriantur.*

CAPIT